



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

Cap. XIII. De auxilio, quod S. Iosephvs in varijs omnis generis occasionibus
exhibet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

magnâ charitate obibant, paterent, simul deinde festo SS. Innocentum die anni præteriti 1638. ad Confessionis & SS. synaxis sacramenta accesserunt, cereumque in templo S. IOSEPHI eidem Diuo dedicârunt, gratijs illi ob suam cuiusvis & totius Lugdunensis ciuitatis incolumitatem actis.

CAPVT XIII.

De auxilio, quod S. IOSEPHVS in varijs omnis generis occasionibus exhibet.

SATIS hîc foret dicere, S. IOSEPHVM Christianis omnibus, qui experiri aliquem eius maximæ benignitatis fructum volunt, communis parentis loco esse, neminemque in quocunque negotiorum genere ab eotristem recedere, qui suam ei causam committat. Nihilominus non inutilem me præstare operam puto, si eius rei aliquot specimina velut totidem adhorta-

horta-

hortationes in medium adducam, quibus doceamur, cum opus erit, aut his aut alijs occasionibus, eius opem postulare.

Clientibus suis in grauibus negotijs adest, maxime si ad DEI promouendam gloriam pertineant. Ita S. Terefiam in plerorumque Monasteriorum, quæ moliebatur, negotio adiuuit. Historia de vitâ illius conscripta eiusmodi præfidijs plena est. Non ita pridem certior sum factus, personam quamdam S. IOSEPHO nouem sacra se procuraturam vouisse, si magni momenti negotium expediret: nec ita multo post felicem res exitum diuinæ gloriæ congruum sortita est.

Rei familiaris rationibus prospicit. S. Terefia vehementer in expungendis quibusdam debitis, ob Abulensis Monasterij fabricam contractis affligebatur, cum nullam comparandi aris viam reperiret, quod operis persolueretur. Sed S. IOSEPHVS eius rebus probe consuluit, eique se videndum

exhi

exhibens illam iussit audacter res omnes, quibus indigeret, coëmere; pecunias ipsi ad soluenda omnia debita nunquam defuturas. Ac re ipsâ Deus adeo opportunè famulæ suæ prouidit, vt ab illo ipso argenti summam acciperet, de quo nunquam sperâsse, maximâ eorum admiratione, quibus de illo negotio constabat *a*

Religiosas familias auget, si id ab eo postuletur. Præterito sæculo *b* Carthusianus Ordo admodum erat in angustijs, verentibus Religiosis, ne tota illorum Religio corrueret, quòd nemo se in eam admitti postularer; hinc tirocinij domicilia vix paucis erant, paucis admodum eius instituti candidatis se offerentibus. Ad quod auertendum incommodum in maiori Carthusia Patrum habito Concilio conclusum est, opem è cælo expectandam, ideòque S. IOSEPHVM eius causæ apud Deum Aduocatum ac Patronum exo-

N

ran-

a Biberi lib. 1. cap. 14.

b Anno 1567.

randum. Sanxerunt deinde, ab ordine vniuerso quot annis deinceps perpetuò festum eius diem solenni ritu celebrandum: quod maximo studio gratisque animis omnes posthac præstititerunt, quandoquidem votum illud tam fructuosum cæloque acceptum agnouerunt, vt nunquam ijs vitæ illius sectatores deessent; quòd si quibusdam in locis nemo candidatorum compareret, in alijs nonnullis accurrerunt: præterquam quòd singula etiam monasteria, si hominum penuriâ simili laborent, possint mox ad S. IOSEPHVM se vertere, qui eis ex animi sententiâ prouidebit. Quinque aut sex anni erunt, cum Lugdunense illorum domicilium paucitate id institutum ambientium affligebatur: votum itaque eidem Diuo nuncupant, à quolibet Sacerdote quauis hebdomadè in posterum in eius honorem sacrum dictum iri. Nec inane votum fuit: ab eo enim tempore nunquam illis defuerunt, qui sanctis desiderijs accensu eorum Religioni se adiungerent.

Gen.

Gentium conuersionem ad Fidem
 IESU CHRISTI promouet. Ob hanc
 causam Patres nostri, vt litteræ è Ca-
 nadâ missæ memorant, primo gentis
 illius Regulo, quem salutaribus vndis
 eluerunt, IOSEPHI nomen imposuere,
 vt sub eius auspicijs plures alij huius
 exemplo Baptismo initiarentur. *a* Ob
 eandem rationem noua Francia nouis
 in dies gaudijs exhilaratur ob Barba-
 rorum ad nostram fidem accedentium
 frequentiam: quam felicitatem S. IO-
 SEPHO vt præcipuo Patrono adscri-
 bunt. Idem possem de Paraquariensi
 Prouinciâ in Meridionali Americâ di-
 cere, in S. IOSEPHI præsertim co-
 loniâ, quæ illarum vna est, quæ à no-
 bis excoluntur: cui idcirco hoc no-
 men datum est, quòd Diuus ille fuerit
 ab incolis pro Patrono adlectus. Hoc
 ipso loco, anno 1626. ducentæ fa-
 milia Baptismo sunt ablutæ, ac sex
 alijs vicinis oppidis cupiditatem in-
 iecere, eis se coniungendi, qui Pa-
 trum

N 2.

trum

a. Anno 1638.

trum nostrorum operâ instituuntur:
factâ de se spe, fore vt Neophytorum
exempla secuti oppidani illi cælesti-
bus beneficijs ac felicitate dignos se
faciant, quam SS. Virginis Sponsum ei
loco conciliare, indubitatum habe-
tur. *a*

Matrimonijs fauet, animosque Chri-
stianâ charitate coniungit. Mercator
Lugdunensis admodum honestus Vir-
ginem deperibat, quam in coniugem
sibi dari cupiebat; quamuis ipsa ani-
mo esset prorsus alieno, neque audire
de illo coniugio vellet. Vt igitur eius
animum sibi conciliaret, quam tanto-
pere expetebat, S. IOSEPHVM implora-
uit, pollicitus, in eius honorem cen-
tum se coronatos in pauperes eroga-
turum, si eâ virgine potiretur. Vix il-
le votum finijt, cùm illa conditionem
acceptat: inde initum coniugium ma-
gna concordia exactum, quæ præci-
pua illius Sacramenti felicitas habe-
tur.

Ser-

a Ex Relatione Paraquar.

Seruandæ castitati patrocinator.

Magi ac dæmones quidam importunè castæ cuiusdam virginis quietem turbauerant : eam Confessarius iussit S. IOSEPHI auxilium inuocare, eique ferendam secum illam chartam dedit, quæ prodigiosè unctum à S. IOSEPHO linum Lauduni attigerat : confestim sensit illa se ab eâ infestatione liberam. *a* Idem solatium alteri fuit allatum, quæ similibus puritati contrarijs insultibus vexabatur; postquam se Diuo illi commendauit, ac pollicita est, nouem diebus eius se imaginem penes se habituram; vt ex ipsamet intellexi.

Votis ac precibus prægnantium annuit. In templo S. IOSEPHI votiuæ tabula à nobili matronâ illic suspensa visitur, quæ quòd eniti fætum ante aliquot dies mortuum non posset, vitæ discrimen adibat; nihilominus imploratâ Diui illius ope tantum

N 3

vi.

a Ex relatione unctiõnis miracul.

p. 70.

virium recepit, vt expellere prolem iam putrescentem vitę suę secunda posset. Idem beneficium paulò felicius anno præterito femina Treuouensi obtigit, quę acerbis doloribus ob pariendi difficultatem toto triduo excruciatam de vitâ periclitabatur; neque ampliùs consilium suppetebat: donec in mentem illi venit, S. Iosephi, qui non ita pridem in loco ægros restituit, patrocinium exposcere, adiecto etiam proposito, in eius honorem peractâ confessione se SS. Eucharistiam percepturam, ac de chartâ Laudunensis lini tactu sacratâ aliquid per os demissuram: quod vt primùm fecit, mox optato successu partum enixa est.

Energumenos à Dæmonum vexatione liberat; vt ex illorum historiâ patet, qui Lauduni ab ijs fuere obsessi.

Coniugibus hæredem ab eo postulantibus propitium se exhibet. Hoc anathema illud testatur, quod in eodem

dem templo videre est, à matronâ al-
latum, quæ S. IOSEPHO edito vo-
to supplex, vt eius ope posset pro-
lem consequi, eodem anno marem ob-
tinuit.

Citiùs me diurnâ illâ eiusmodi
prodigiorum, quæ collocare huc pos-
sem, enumeratione expediam, si, vt
initio sum præfatus, dicam, S. IOSE-
PHVM amanter fidenterque postu-
lanti nihil denegare. Hoc certè mihi
indubitatum est, me ab hominibus
plurimis fide dignis intellexisse, à san-
cto IOSEPHO se, quæcunque posce-
rent, obtinere; S. Teresiæ in hoc Ca-
pite similes, quæ passim iactabat, præ-
sens sibi in rebus quibusuis remedium
esse, S. IOSEPHVM precari, ac illi se
suaque permittere: eo factò se
nullius postulati repulsam
tulisse.